At *idem Molina tomo* 3. *de just. p.* 2. *disput.* 723. *num.* 4. *versiculo Secunda verò pars*, ait censeri hunc, possessorem bonæ fidei, & solùm teneri vero domino ratione rei acceptæ, ac proinde re illa consumpta, eatenus solùm teneri, quatenus è vit contra justitiam, nec injustè illam retinuit. Sicut si postea reperiret esse suam, nil restituere teneretur, etsi injustè contra conscientiam errantem acceperit. At potiùs placet prior sententia, quia rationes illius sunt urgentiores. Et quia (ut *n. sequenti* videbimus) jura clamant possessorem bonæ fidei esse, qui credit rem ad se pertinere. Nec obstat exemplum de conscientia erronea adductum, quia in illo casu erat res verè sua, & ita non est, cui restituat, & conscientia fuit omninò erronea. Quæ omnia secùs se habent in nostro casu.

SUMMARIUM.

Quæ dicatur vera bona, & mala fides? n. 158.
An hæc sit quid juris, an facti; & quid jus circa hæc disponere possit? n. 159.
Ex quæ facti ignorantia consurgat bona fides, & qualiter dijudicabitur eam justam esse, ut bona fides inde consurgat? num. 160.
An ex ignorantia juris naturalis consurgat bona fides? n. 161.
Quid de ignorantia juris humani? Refertur quadam sententia, num. 162.
Explicatur sententia Auctoris, n. 163.
An sit discrimen, sive sit ignorantia juris assistentis, sive resistentis? n. 164.
Quid si jus ita resistat, ut interdicat rem alienari? n. 165.
An prosit hæc ignorantia ad fructus naturales, & industriales? num. 166.
An prosit ad usucapionem fructuum bona fide perceptorum? numer. 167.
An qualiscumque juris ignorantia sat sit, ne possessor teneatur ex rebus consumptis, nisi quatenus evasit ditior? n. 168.
An qui possidet dubitans, an res sit sua, censeatur possessor bonæ fidei? Referuntur varia sententia, n. 169. *&* 170. 171.
Possidens potest se quadrupliciter habere, n. 172.
Qualiter restituere teneatur, qui dubitans, an res sit sua præoccupavit possessionem illius à nullo possessa? numer. 173. *Ubi quid si alter mala fide possideret; aut non est apposita diligentia?*
An si apposita diligentia inveniret rem esse alienam, teneatur omninò restituere instar possessoris malæ fidei? n. 174.
Qualiter teneatur, si dubitans, an res sit sua, auferat illam possidenti bona fide? n. 175.
Qualiter peccet accipiens rem ex voluntate possidentis, quando dubitat, an sit illius? n. 176.
Qualiter teneatur hic restituere? n. 177.
Quid si eum hoc dubio accipiat à possidente bona fide? n. 178.
Quid si à principio cœpit bona fide possidere? n. 179.
An dum apponit debitam diligentiam, possit re illa uti? n. 180.
An detur medium inter bonam, & malam fidem? n. 181.
Ad quid teneatur, si occurrente dubio omittat diligentiam? n. 182.
Quid si ex negligentia hujus veritatis indagandæ consurgat impotentia veri domini inveniendi? n. 183.
An si apposita diligentia adhuc dubitet possessor, an res sit sua, possit ea uti, & teneatur admonere emptorem, aut donatorium illius? n. 184.
Quid si desperetur emptorem appositurum diligentiam, ad sciendum verum dominum? n. 185.
An quando apposita diligentia mansit dubius, teneatur in posterum instar solius possessoris bonæ fidei? num. 186.
An si rem illam eodem pretio, quo emit, vendat, teneatur domino postea comparente? n. 187.
Quid si tramissa diligentia maneat dubius, an possit retinere, an censeatur retinendo possessor malæ fidei? n. 188.
Solvuntur argumenta, n. 189.
Quotupliciter inducatur mala fides præsumpta? n. 190.
Qualiter inducatur per denuntiationem? n. 191.
Qualiter per litis contestationem? Refertur opinio, n. 192.
Explicatur sententia Auctoris, n. 193.
Post n. 193. *invenies omnia summaria, quæ desiderantur.*

158 Quæstio quinta. Quando quis censeatur possessor bonæ, & malæ fidei, & uter horum censeatur, qui dubius est? Duplex est mala fides, quædam est vera, & quædam ficta, seu jure præsumpta. De his est seorsum agendum; & priùs de bona, & mala fide veris. Bona fides vera dicitur, quando quis probabiliter attentis rei, & personæ circumstantiis, putat rem esse suam, aut illum, à quo accepit, jus habuisse illius distrahendæ. Constat ex *l. Bonæ fidei* 110. *ff. de verb. signif.* ibi: *Bonæ fidei emptor esse videtur qui aut ignoravit eam rem alienam esse, aut eum, qui vendidit, jus putavit vendendi habere.* Idem habetur *l.* 3. *ff. ad l. Flaviam de plagiariis, & l. Qui à quolibet* 27. *ff. de contrahend. empt. &* §. *Si quis à non domino, instit. de rerum divis. & §. Jure civili, instit. de usucap. & l. Apud antiquos* 21. §. *Cum igitur, C. de furtis, & l. regia* 49. *tit.* 28. *part.* 3. *& c. Si virgo* 34. *q.* 2. ibi: *Tamdiu quisquam bonæ fidei possessor rectissimè dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum.*

159 Ex quo deducitur primò, veram bonam, & malam fidem, non esse quid juris, sed facti. Quia id ex propria uniuscujusque conscientia pendet, non autem ex juris præscripto; quam ob rem jus nequit hæc inducere. Quia si possessor credat rem esse alienam, nequibit jus efficere, ut sit bonæ fidei verè possessor, nec è contra, ut sit veræ malæ, si justè credat rem esse suam. Et ita docent *Covarr. regula Possessor* 2. *p.* §. 7. *n.* 6. *Jo. Garzia de expensis c.* 23. *nu.* 12. Poterit tamen jus ob juris errorem excludere possessorem ab iis, quæ bonæ fidei possessor jure consequi solet, eumque afficere iis, quæ adversùs malæ fidei possessorem sunt jure statuta. Ita *Covarr. ibi.*

160 Secundò deducitur, non esse bonam fidem, quando ex crassa, aut supina facti ignorantia oritur. Ut quoties quis hac ignorantia putat rem esse suam. Quippe tunc nulla adest probabilis ratio ad existimandam justam possessionem, ea enim existente non esset ignorantia crassa. Ita tradunt *Host. summa tit. de pœnit. & remiss. n.* 61. §. *Quid de prædam ementibus, versic. Quid si sciebat factum, Monaldus in summa titul. de restitutione emptorum, & de rapina, versicul. Item si emens, & versic. Item si emerunt, & versic. Malam, Gabr.* 5. *d.* 15. *quæst.* 3. *art.* 3. *dubio* 5. *propositione* 2. *D. Anton.* 2. *part. tit.* 1. *c.* 12. §. 16. *Rosella verbo Restitutio* 7. *nu.* 18. *Ang. verbo, Restitutio* 1. *verbo, Emens, num.* 3. *Sylv. verbo Restitutio* 3. *quæst.* 7. *d.* 2. *Tab. verbo, Restitutio qu.* 24. *num.* 25. *Joann. à Metina de restitut. quæst.* 17. *paulo ante finem, versic. Sequitur amplius, & quæst.* 10. *column.* 3. *versic. Si autem secundus detentor, Martin. de Ledesma* 2. *part.* 4. *quæst.* 18. *art.* 6. *column. antepenult. in fine, Navarr. summa Latina, & Hispana cap.* 17. *numer.* 84. *Graffis* 1. *p. decisionum, lib.* 2. *cap.* 132. *num.* 22. *Toledo lib.* 5. *summa cap.* 26. *num. ult. Ludov. Lopez* 1. *p. instructorii conscientia cap.* 237. *column.* 3. *vers. Ad hæc res postulat, Bannez* 2. 2. *quæst.* 40. *artic.* 1. *dub.* 7. *conclus.* 2. 3. *&* 4. *Sayro in clavi regia, lib.* 10. *tractatu* 2. *cap.* 2. *numer.* 2. *versic. Nec etiam, Navarra lib.* 3. *de restit. cap.* 4. *in nova editione par.* 3. *dubio* 1. *numer.* 144. *&* 145. *Valentia* 2. 2. *disput.* 5. *quæst.* 6. *puncto* 3. *columnia* 3. *versic. Quinto, quod attinet, Molina tomo* 1. *de justit. disput.* 64. *col.* 1. *versic. Quod attinet, & tom.* 3. *par.* 2. *disputat.* 720. *num.* 3. *& disput.* 723. *num.* 2. 7. *&* 8. *Rebellus de justitia parte* 1. *lib.* 2. *quæst.* 4. *num.* 14. *& quæst.* 5. *num.* 5. Similiter non consurget bona fides, quando ex temeraria fatuitate possidens non advertit rem esse alienam. Quia eadem est ratio, & docent *Monaldus, D. Antonius, Rosella, Sylvest. Ludov. Lopez ibidem.* Et concludo ignorantiam debere esse invincibilem, ut bonam fidem producit. Quod benè docent *Joann. à Metina utroque loco, Martinus à Ledesma, Bannez, Rebellus ea q* 4. *numer.* 14. proximè allegati, *& Molina ea disp.* 720. *numer.* 4. *& disput.* 723. *numer.* 2. *&* 7. *&* 8. ait debere esse talem, quæ à culpa Theologica excuset. Et id benè explicat *Rebellus ea quæst.* 5. *numer.* 5. dicens debere esse ignorantiam excusantem à culpa lethali in acceptione rei, & omissione inquirendi cujus sit. Qui *numer.* 6. addit ignorantiam venialem obligare etiam ad restitutionem, sed minorem, juxta culpæ proportionem; arbitrio prudentis. At id additum non approbo, eò quòd communis sententia habeat solam culpam venialem non obligare ad restitutionem ex sola injustitiæ culpa procedentem. Docet etiam optimè *Molina ea disputat.* 723. *numer.* 8. Judicandam esse ignorantiam hanc à culpa Theologica excusantem, attenta capacitate personæ accipientis. Et multùm etiam ait juvare; an emens, aut aliter accipiens, sit timorata persona, quæ si vitium in ea acceptione, aut emptione suspicaretur, abstineret se ab illis. Quippe in hujusmodi personis dicit nullatenus esse præsumendam ignorantiam culpabilem crassam, sed potiùs invincibilem; aut propter inadvertentiam, quæ sæpè non est in hominum potestate, aut ratione ignorantiæ subtilitatum juris. Quando autem (inquit) persona non est timorata, si nimia ruditas arbitrio prudentis eam non excusat à culpa, præsumitur ignorantia crassa, eò faciliùs, aut difficiliùs, quò circumstantiæ concurrentes indicarent plus, aut minus, eam non esse tradentis, spectataque ruditate, simplicitate, ac perspicacitate ingenii eam accipientis.

161 Sed quando est ignorantia juris, an inde consurget bona fides ad acquirendos fructus, est gravis difficultas. Et quidem quando est ignorantia juris naturalis, ut si quis norit rem esse furtivam, ignoret tamen sibi non licere eam emere; concordant Doctores eam esse crassam, nec excusare. Ita *Monald. Gabr. D. Anton. Rosella, Ang. n.* 2. *Sylv. Nav. Ludov. Lopez, Graffis, Sayro,* allegati *n. praced.* Vide autem limitationem hujus *hoc eodem cap. n.* 1.

162 At difficultas est de juris humani ignorantia. Quidam negant hinc oriri bonam fidem ad fructus acquirendos, nisi ignorans sit rusticus, aut mulier, aut minor, aut jus sit ita dubium, ut varias interpretationes patiatur. Et ratio est, quia jura clamant ignorantiam facti, non juris excusare. *Regula Ignorantia* 13. *de reg. jur. in* 6. Sic *Finell. l.* 2. *p.* 2. *c.* 4. *à n.* 34. *usque ad* 43. latissimè probans, *C. de rescind. vend.*

160 At dicendum est, invincibilem juris ignorantiam satis esse ad producendam bonam fidem ad hujusmodi effectum. Quia nullus est textus decidens hac ignorantia excludi bonam fidem ad acquirendos fructus; imò eam satis esse deciditur expresè, *lege Sed etsi* 28. §. *Scire, ff. de petit. hæred.* ibi: *Et non puto hunc esse prædonem, qui dolo caret, etsi in jure erravit.* Præterea quia quando jus voluit hunc ignorantiam non prodesse, ut quo ad usucapionem, id explicuit, *l. Si fur* 23. §. *Si quis, ff. de usu cap.* ibi: *In jure erranti non procedat usucap.* Et idèo ita docent *Glo. eo* §. *verb.*

§. *verb. Et non puto, in* 2. *solutione*, quam postea dicit esse veriorem, *& d.* §. *Si quis id, verbo Erranti, in ult. solutione, & l. Quod uxor* 16. *verb. Pro possessore, ff. de acquir. possess. & l. De fructib.* 18. *verbo, Fructus ff. de don. inter vir. & uxor. & c. Si diligenti, verb. Bona fides, de præscript. Dyn. regula Possessor, numer.* 39. *de reg. jur. in* 6. *Bart. d. l. Sed etsi* §. *Scire, num.* 4. *ubi Ang. num.* 5. *idem Bart. d. l. Si fur,* §. *Si quis id, num. unico, Anton. c. Gravis, n.* 11. *de restit. spol. & ibi Abb. num.* 17. *Imola, num.* 3. *Bellamera, num.* 15. *Berojus num.* 21. *&* 22. *& c. Si quis presbyterorum, num.* 15. *de reb. Eccl. non alien. idem Abb. cap. Ad nostram, in fine. eodem tit. Felin. c. De quarta, num.* 30. *de præscript., Capola cons. civili* 25. *num.* 8. *tom.* 1. *Ruin. consil.* 91. *nu.* 5. *vol.* 5. *Igneus l.* 3. §. *Si conditioni, n.* 41. *&* 42. *ff. ad Syllan. Bald. l. Celsus, num.* 18. *&* 19. *ff. de usucap. Curt. Senior consil.* 71. *nu.* 15. *Ang. in summ. verbo, Ignorantia, n.* 5. *& ibi Sylv.* 9. 8. *d.* 7. *n.* 20. *Nav. lib.* 1. *cons. tit. de officio ord. in priori editione, cons.* 6. *num.* 3. *& 6. in posteriori, cons.* 9. *Covarruv. lib.* 1. *var. cap.* 3. *nu.* 8. *Bald.* §. *Si quis à non domino, n.* 1. *in fine, inst. de rer. divis. & ibi Cantinac. ad medium, Ursill. addit. ad Matth. de Afflictis in decis. Neapolitana* 140. *à num.* 1. *usque ad* 4. *Menoch. de recup. possess. remedio* 15. *num.* 630. *Jo. Garzia de expensis c.* 23. *num.* 24. *Card. Tuschus in suis conclusionib. practicis, tom.* 4. *conclus.* 490. *num.* 48. *Toledo lib.* 5. *summ. cap.* 26. *numer. ult.* Atque idem est dicendum, etsi adsint simul error juris, & facti. Ut benè docent *Dyn. num.* 40. *Jo. Garzia num.* 33. *Ursil.* proximè citati. Quare sicut ad malam fidem ex facti ignorantia inducendam, diximus *n.* 160. exigi ignorantiam esse crassam, vel supinam; idem prorsus est dicendum de hac juris ignorantia. Quod benè docent *Ang. in summa, Sylv. & Toledo* proximè allegati.

164 Quidam limitant primo, ut intelligatur de ignorantia juris, quod solùm non assistit contractui; ut contingit in testamento minùs solemni, cui jus non assistit illud fovens, & approbans, non tamen resistit illud interdicens. Secùs autem de ignorantia juris resistentis. Ut contingit in alienatione rei Ecclesiæ absque debitis solemnitatibus, cui jus resistit, illam interdicendo. Ducuntur ex *l. Si prædium,* 16. *C. de prædiis minor. & l.* 1. *C. de fide instrum. & hasta fiscalis, lib.* 10. *& l. Jubemus nulli,* 14. §. 1. *C. de sacrosanc. Eccl. & c. Si quis presbyterorum,* 6. *de reb. Eccl. non alien.* Sic tradunt *Bart. d. l. Sed etsi lege* §. *Scire, num.* 4. *Anton. Abb. utroque loco, Imola, Curt. Senior, Felin. num.* 31. *in* 3. *restrictione, Ball. Ursill. Menoch. num.* 634. *Cardin. Tuschus,* ubi eos retuli *numer. praced.* At existimo nullam esse quo ad hoc differentiam inter utriusque juris ignorantiam. Quia *d. l. Sed etsi lege,* §. *Scire,* determinatur indistinctè errantem in jure esse in bona fide quo ad fructus acquirendos, & nulla ratio cogit restringere: cum uterque error sit contrarius scientiæ, & ideò vel uterque, vel neuter conferre debet ad bonam fidem. Nec obstant textus in contrarium adducti; sunt enim intelligendi de mala fide præsumpta in foro externo. Atque ita docent *Igneus, Navarr. Covarr. Joan. Garzia à num.* 24. *usque ad* 33. ubi eos *num. praecedenti* retuli. Et idem dicendum est, quamvis id jus non sit obscurum, ut benè docet *Navarr. eodem loco.*

165 Secundò limitant alii, ut tunc ignorantia juris resistentis producat malam fidem ad effectum non acquirendi fructus, quando jus ita resistit, ut interdicat regulariter alienationem; ut contingit in alienatione rei Ecclesiæ. Secùs quando etsi resistat, permittit regulariter alienationem cum certis solemnitatibus, ut in alienatione rerum minoris evenit. Ita *Aret. l. Quod uxor in fine, ff. de acquir. possess.* Sed jure optimo *Covarr. & Joann. Garzia num. praced.* relati improbant hanc limitationem. Quia cum utroque casu jus contractui resistat, nil refert utrovis modo resistat. Et ad hoc est optimus textus, *l. regia* 11. *tit.* 4. *p.* 2. ibi: *Otrosi, el que tal heredad comprasse, sabiendo que era de la Yglesia, e non fiziesse la compra en la manera que se dixe en las leyes deste titulo, devela perder, e cobrarla la Yglesia, con todos los esquilinos que ende llevo. E si alguno la rechiedere à sabiendas en donadio, deve la entregar en la Yglesia, con todas las rentas que ende huuo.* Ubi apertè petitur scientia ad horum fructuum restitutionem.

166 Tertiò limitant alii, ut error juris prosit ad fructus industriales acquirendos, quatenus possessor non evasit ditior ex eorum consumptione, secùs quatenus evasit; & idem de fructibus naturalibus, quos possessor ratione bonæ fidei cum titulo acquirit. Ratio discriminis est, quia ideò bona fides ex juris errore procedens non sat est usucapioni, quia in usucapione agitur de lucro captando. At idem est de naturalibus, qui absque cura, & industria acquiruntur, & de industrialibus quatenus ex eorum consumptione possessor locupletatus est; in his enim agitur quoque de captando fructuum lucro. Ergo similiter dicendum est, ad hos acquirendos non satis esse bonam fidem ex errore juris procedentem. Sufficit tamen ad acquirendos industriales, ex quibus consumptis non evasit locupletior. Quia cum illi dentur pro cura, & labore, agitur in illis de damno vitando. Ita tradunt *Felinus c. De quarta, numer.* 30. *&* 31. *de præscript. & Menoch. de recuper. possess. remedio* 15. *numer.* 632. *&* 635. At nec hæc limitatio placet; sed absolutè tenenda est sententia tradita *numer.* 163. ut invincibilis ignorantia juris æquè excuset, quo ad fructus acquirendos, ac invincibilis ignorantia facti. Ut constat ex dictis *duplici numero praecedenti.*

167 Ultimò limitant alii, ut prosit ignorantia juris quando agitur de fructibus acquirendis, tamquam à bonæ fidei possessore, secùs si de illis usucapione comparandis. Probant ex *l. Si fur* 32. §. *Si quis id ff. de usucap.* ibi: *In jure erranti non procedat usucap.* Sic *Abb. c. diligenti, n.* 24. *&* 25. *de præscript.* Sed *Leonard. lib.* 2. *de just. c.* 6. *dub.* 5. *n.* 15. ait hanc juris ignorantiam sat esse ad fructuum usucapionem; sed Auctores, quos refert, id non dicunt. Placet tamen ob hanc rationem, quia quoties usucapio non exigit specialem titulum, satis est bona fides ex juris ignorantia procedens. Ut cum aliis probat *Covarr. regula Possessor* 2. *p.* §. 7. *n.* 5. *conclus.* 2. At horum fructuum usucapio speciali titulo non indiget. Sicut probavi *n.* 94.

168 Demum id monuerim, quidquid sit de effectibus, ad quos jus civile bonam fidem petit, si loquamur de effectu concesso per jus naturale, nempe ut possessor bonæ fidei non teneatur ex rebus alienis consumptis, nisi, quatenus ditior evasit, quem *n.* 4. explicuimus, proderit absque dubio ignorantia qualiscumque juris, dummodo sit invincibilis. Quia qualecumque illud sit, & sive obscurum, sive clarum, excusat possidentem à culpa injustæ acceptionis, quando invincibiliter ignoratur, ac proinde cum nec teneatur etiam ratione rei acceptæ, utpote qui nec illam habet, nec ditior evasit, excusabitur prorsus à restitutione. Sicut agens de præscriptione dixit *Jo. à Metina de restit. qu.* 17. *col. penult. vers. Corollariè sequitur impertinens esse.* Quamvis ejus sententiam non approbem in præscriptione, de qua ipse agit. Quia cum præscriptio sit effectus juris civilis, juxta illud dicens ignorantiam juris non sat esse, judicanda est.

169 Rursus difficultas est. An dubia fides, quæ quispiam possidet rem dubitans, an sit sua, sit censenda bona, an mala fides? Quidam esse bonam fidem adstruunt. Ducuntur ex *cap. Si virgo* 34. *qu.* 2. ibi: *Tamdiu quisquam possess. bona fidei rectissimè datur, quamdiu se possidere ignorat alienum.* At dubitans, an res sit sua, ignorat, an sit aliena. Præterea, quia cum dubia fides medium sit inter bonam, & malam, non est cur potiùs malæ accedat; & proinde superveniens, nec bonam, nec malam fidem aufert, sed cæteris paribus favendum est priùs existenti; cum in dubio sit potior possidentis conditio. Et ideò ita sustinent *Gloss. c. Si diligenti, verbo, Bona, & cap. fin. verbo, Nulla, de præscript. Innoc. eodem cap. fin. in fine, & ibi Abb. num.* 40. Atque *Glo. eo cap. fin. & Innoc.* dicunt in propriis terminis hanc esse bonam fidem ad fructus acquirendos. Atque vendentem res in dubio, an sint suæ, non esse in mala fide, & proinde potiri privilegiis bonæ fidei, docent *Rosella verbo, Restitutio* 7. *n.* 19. *ad medium e Sylv. Restitutio* 3. *qu.* 7. *d.* 2. *& verbo, Præscriptio* 1. *qu.* 5. *d.* 3.

170 Aliis placet hunc esse malæ fidei. Quòd bona fides exigat, ut possessor existimet rem suam. Ut diximus *numer.* 158.) At dubitans non existimat rem esse suam, utpote qui neutrius partis assensum habeat. Ita *Sot. lib.* 4. *de just. quæst.* 5. *articul. ultimo col. antepen. paulo ante vers. Ad rationem autem, Martin. de Ledesma* 2. *p.* 4. *qu. fol.* 231. *col.* 1. *Aragon.* 2. 2. *qu.* 62. *ante ar.* 1. *tractatu de dominio, quinque columnis anto finem, fol.* 164. *col.* 2. *Spino speculo testamentorum glo.* 23. *principali num.* 42.

171 Alii dicunt dubiam fidem esse mediam inter bonam, & malam, & ita neutram posse dici. Quia utraque possessio assensum desiderat, quo res propria, aut aliena credatur: dubium autem assensum utriusque excludit. Ergò est quoddam medium inter utramque. Ita falsò allegans *Dynum regula Possessor, statim in principio, de reg. jur. in* 6. dicentem non dari medium inter utramque fidem (nil enim de hac re dicit) tenet citatis *Glossis, & aliis Covarr. eadem regula Possessor* 2. *p.* §. 7. *n.* 3.

172 Sed ut distinctè in hac re procedamus, observandum est possessorem dubiæ fidei posse quadrupliciter se habere. Primò, quando dubius, an res sit sua, apprehendit illius possessionem a nemine præoccupatam. Secundò, quando præoccupatam ab alio capit. Tertiò, quando dubia fide accepit ex possessoris voluntate. Ultimò quando possessioni bona fide incœptæ supervenit dubium.

173 Prima conclusio sit. Quando quispiam dubius, an res sit sua, præoccupavit illius possessionem à nemine occupatam, tenetur debitam diligentiam apponere, ut veritatem norit, quòd si ea apposita nequeat vincere dubium, nec potest totam retinere, nec tenetur totam restituere, sed prout magis animus in hanc, aut in illam partem inclinat, est restitutio facienda; quare in pari dubio poterit dimidiam partem retinere; si autem magis inclinet, ut res illa sit alterius, ei est major pars reddenda, & è contra poterit majorem partem retinere, si potiùs inclinet, ut res illa sit sua, idque secundùm varios gradus, qui in hoc assensu esse possunt. Quippe possessio capta cum dubia fide non suffragatur, ut vel sic potior sit hujus possidentis conditio) ut probavi latè *lib.* 2. *de matrim. disp.* 41. *num.* 24.) ac proinde cum æqua sit ejus conditio, ac alterius non possidentis, est res hæc definienda ex conjecturis, & opinione utriusque partis. Hanc multis Doctoribus citatis probavi *ea disp.* 41. *num.* 15. qui dicunt rem furto auferentem latroni, aut scientem non esse suam, & certum esse cujusdam ex aliquibus, dubium verò cujus illorum: in quo casu perinde est, ac si nullus possideret, teneri rem inter illos

dividere, juxta dubij proportionem; & si res sit individua, conveniendum cum illis, cui res ipsa sit danda, & cui pars pretij. Et in propriis terminis tenent *Leonard. de just. lib. 2. c. 3. dub. 6. n. 10. & c. 14. dub. 4. n. 25. in fine, Rebell. de justit. p. 1. lib. 2. q. 5. n. 7. 8. & 9.* Quare non opus est confugere ad judicem, ut opus esse existimat *Molina to. 3. de just. p. 2. disp. 723. n. 5.* Atque idem est dicendum, quando alter mala fide possideret. Cum enim ea possessio non sibi suffragetur, perinde est in hoc dubio judicandum, ac si neuter possideret. Ita *Leonard. utroque loco*, Idem etiam dicendum est ante appositam diligentiam, quando nulla occurrit moraliter possibilis adhibitu. Quia impossibilium nulla est obligatio. Ita *Rebellus ibid.*

174 Hinc deducitur, si adhibita diligentia hic invenerit rem esse alienam, teneri eum rem integrè cum fructibus restituere, instar possessoris malæ fidei. Quia etsi non peccarit præoccupando possessionem cum animo apponendæ diligentiæ; at non possidet tamquam propriam, totam rem illam, aut partem ejus, donec ea diligentia apponeretur, sed quasi depositam apud se retinet. Non ergo ea possessio jus sibi tribuet consequendi aliquid ex ea re; sed totam cum suis emolumentis domino restituet. Ita *Rebell. n. præced.* relatus. Quod non est intelligendum, ut in omnibus teneatur instar possessoris malæ fidei. Nam hic ratione injustitiæ tenetur, etsi res apud ipsum absque sua culpa pereat, & ad fructus, quos dominus eam possidens esset percepturus, quamvis ipse non perceperit. At ille cum nullius injustitiæ præoccupando rem illam reus fuerit, non tenetur re pereunte absque sua culpa, nec ad ampliores fructus, quàm perceptos. Erit ergo instar possessoris malæ fidei, quo ad hoc ut teneatur integrè illam cum fructibus perceptis restituere, etsi consumpserit non evadens inde ditior, ad quod non teneretur, si bonæ fidei possessor esset.

175 Secunda conclusio. Si alter rem illam possidebat bona fide, qui dubius, an res sit sua, illum spoliaret, teneretur totam ei restituere, sicut possessor malæ fidei. Quia cum in dubio sit potior prioris possessoris conditio, est injustè sua possessione spoliatus. Hanc contra *Joann. a Metina* probavi *lib. 2. de matr. disp. 41. n. 26.* & ultra Doctores *ibi* allegatos, eam tenent *Leonard. eodem c. 14. dub. 4. n. 25. Rebell. eadem q. 5. n. 9. Molina tom. 3. de justit. p. 2. disp. 723. nu. 4. vers. Primo spoliando.*

176 Tertia conclusio. Qui dubitans, an res sit aliena, eam accipit ex possessoribus voluntate, ut donatione, aut alio contractu, animo inquirendi domini, ut ei restituat, nullatenus peccat; si tamen ut eam sibi retineat, peccat contra justitiam. Prior pars constat, quia sic accipiens non afficit injuria, imo magno beneficio verum dominum, qui forsan alioquin non esset rem illam habiturus. Posterior etiam pars constat, quia lege justitiæ tenetur non exponere se periculo injustitiæ, quasi hic se exponit retinendo illam rem cum eo dubio; est enim injustitiæ periculum contra verum dominum, si verè res illa sit aliena. Insuper hanc probant *Bannez*, & *Petr. de Ledesma* statim referendi ex *l. Bona fidei emptor 48. ff. de acquir. rerum domin.* ibi: *Bona fidei emptor non dubiè percipiendo fructus, etiam ex aliena re, suos interim facit.* Ubi clarè dicitur emptorem dubiæ fidei, censeri malæ. At hic textus nil prorsus probat; quia ea particula, *dubiè*, non est genitivus, ut sic concordet cum particula *fidei*, sed est adverbium, nam ponitur cum diphthongo, & ponitur virgula super litera E ad denotandum esse adverbium: & ita sensus est, possessor bonæ fidei facit *absque dubio* fructus suos ex re aliena perceptos. Hanc quoque probavi *eadem disputat. 41. numer. 24. & numer. 29.* Et ultra Doctores *ibi* relatos, eam tenent *Gabr. 4. dist. 15. quæst. 3. articul. 3. dub. 5. propositione 3. D. Ant. 2. par. titul. 1. capitul. 12. §. 17. Rosella verbo, Restitutio, numer. 18. Ang. verbo, Restitutio 1. §. Emens numer. 3. Sylv. verbo, Restitutio 3. quæst. 7. d. 2. Bannez 2. 2. quæst. 62. art. 6. dubio 5. conclus. 1. & 2. & ibi Salon. controversia 4. conclus. 1. & 2. Leonard. lib. 2. de just. cap. 14. dub. 4. num. 24. & 25. Petr. de Ledes. 2. tom. summæ tract. 8. cap. 14. conclus. 7. & 8. Sayro in clavi regia, lib. 10. tract. 2. cap. 3. num. 25. & 26.*

177 At difficultas est, an teneatur hic rem illam integrè restituere? *D. Ant. numero præcedenti* relatus dicit eam rem non comparente domino, esse pauperibus restituendam: imò quando in veri domini utilitatem accepit, docent, *Salon. ea concl. 2. Petrus de Ledesma ea conclus. 7. Sayro eo num. 26.* teneri non invento domino, eum pauperibus restituere, quod superfuerit deducto pretio, quo emit. At dicendum est, in neutro casu teneri statim rem illam restituere; sed mutans pravum retinendi animum, aut exequens bonum inquirendæ veritatis; tenetur debitam diligentiam apponere ad inquirendum dominum, & ubi certus moraliter fuerit rem alienam esse, tenetur illam integrè cum fructibus restituere; (intellige, deducto pretio, si bona intentione emerat, in domini utilitatem, ut docent Doctores proximè allegati. (Quòd si tunc non constiterit rem esse alienam, sed adhuc dubium perseveret, tenetur eam cum altero, de quo dubitat, dividere, plus & minus, pro ratione dubii, & inclinationis animi assignando illi. Quia etsi huic non suffragetur possessio, ut ratione illius valeat eam rem detinere; at quia ei non constat rem illam esse alienam, & posita debita diligentia est adhuc dubius, an fuerit ejus à quo accepit, an potiùs aliena, & furtiva, est perinde, ac si rem accepisset dubius, an sit sua, an alterius, neutro possidente, in quo eventu diximus *numero* 173. esse rem inter utrumque dividendam pro ratione dubii. Hanc partem probavi citatis aliquibus Doctoribus *eadem disp. 41. num. 25.* & ultra illos eam tenent *Leonard. lib. 2. de just. cap. 14. dub. 4. num. 25. vers. Dico tertio, & Molina tom. 3. de just. p. 2. disp. 721. num. 3.* ubi benè addit hanc divisionem sic faciendam cum eo, cujus esse dubitatur; ut si non sit persona nota, sed in genere dubitatur, an sit alterius, pars illi conferenda, si notus esset, est pauperibus eroganda, & similiter, quando constaret rem esset alterius, qui ignotus est, tota res pauperibus dari debet eo modo, quo esset domino noto reddenda. Atque eodem modo est hæc restitutio facienda, quando omninò mala fide est res accepta, existimante accipiente esse rem furtivam, quippe si apposita legitima diligentia ad dominium cognoscendum, adsit justa dubitandi ratio, sit furtiva, nec ne, solam partem pro ratione dubii tenebitur restituere. Quia eadem est ratio, cum non constet tunc esse alienam, & prior existimatio, qua hic certè credebat rem esse furtivam, reperiatur falsa, & ideò non juxta illam metienda est hæc restitutionis obligatio, sed juxta veram adhibita diligentia repertam.

178 Est tamen temperanda hæc conclusio, nisi dubia fide acceperit aliquis rem illam à possessore bonæ fidei, tunc enim non peccat, habens animum inquirendæ veritatis, & in nullo eventu tenetur aliquid ex ea restituere, si præmissa debita diligentia, aut quando ea est moraliter impossibilis, perseverat idem dubium. Ratio est, quia succedit in prioris possessoris bonæ fidei jus, cujus potior erat conditio, utpote qui cœpit bona fide possidere, ac proinde sicut ille manens dubius post prædictam diligentiam, liberatur omninò restitutione. sicut *n. seq.* dicemus, ita de hoc posteriori possessore est dicendum. Atque ita adductis exemplo, & Doctore quodam probavi *ea disp. 41. n. 28.* & tenet *Molina tom. 3. de just. p. 2. disp. 723. n. 6.*

179 Quarta conclusio. Qui bona fide possidere cœpit, si dubium superveniat, an res sit sua, tenetur debitam pro rei qualitate adhibere diligentiam ad id dubium examinandum: quòd si illa apposita id perseveraverit, potest totam rem retinere. Quia cum dubio illo speculativo, an res sit sua, stat judicium practicum verum dictans cum eo dubio integrum esse ei retinere, eò quòd in pari dubio sit melior possidentis conditio. Hanc latè probavi *lib. 2. de matrim. disp. 41. n. 12.* contra duas opiniones, quas *ibi duplici nu. præc.* recitaram. Et ultra Doctores *ibi* allegatos, tenent *Vas. 1. 2. qu. 19. art. 6. disp. 66. cap. 7. num. 42. Salas 1. 2. quæst. 21. tract. 8. disp. unica sect. 23. num. 231. Leonard. lib. 2. de just. cap. 14. dub. 4. n. 23. & c. 6. dub. 3. num. 11. Molina tom. 1. de just. disp. 63. col. 3. concl. 2. & tom. 3. p. 2. disp. 721. num. 4. Sayro in clavi regia, lib. 10. tract. 2. cap. 3. num. 29. Rebellus de just. p. 1. lib. 2. qu. 5. n. 10.* Atque hoc extendi in hoc tractatu, *lib. præcedenti cap. 10. num. 9.* etiamsi possessor in eam partem magis inclinet, ut res sit aliena. Ubi etiam explicui, quid dicendum, quando rationes assensum probabilem dictantem esse rem alienam generant.

180 Quamvis autem possessor hic justè retineat rem illam alienam, dum diligentiam ad rei veritatem assequendam apponit, tenetur tamen interim ab ejus alienatione, & usu abstinere. Quod probavi *ea disp. 41. n. 21. in fine*, id intelligens de usu, quo res consumitur, aut deterioratur. Si enim esset equus, aut servus res, de qua dubitatur, posset interim eis uti animo solvendi pretii usus domino rei invento, deductis alimentorum expensis. Quod apertè indicat *Rebell. ea qu. 5. n. 10. in fine*, dicens curandum huic possessori esse, ne interim rem pejorem reddat, ubi clarè permittit usum, quo res non consumitur, aut deterioratur.

181 Ex his deducitur primò dari medium inter malam, & bonam fidem, si hæc speculativè considerentur, dubitans enim speculativè, an res sit sua, cum neutrius partis assensum generet, nec bonam, nec malam fidem habet, sed quadam media dispositione affectus est, utraque enim fides assensum desiderat, quo possessor rem suam, aut alienam esse credat. At si hæc practicè spectantur, nequit inter utramque medium dari, sed semper possessor in eo dubio habebit bonam, aut malam fidem practicam; bonam quidem, si possessionem bona fide cœptam continuet, superveniente eo dubio; malam autem, si dubium illud præcedat possessionem. Ut constat ex dictis. Atque ita docent *Molina t. 1. de just. disp. 63. col. 5. vers. Jam facile, Leonard. l. 2. de just. c. 6. dub. 3. nu. 12.* Et juxta hanc distinctionem est explicanda sententia relata *n. 171.* dicens dari medium inter utramque fidem.

182 Secundò deducitur, si in eo dubio omittat hic inquisitionem facere, teneri eum postea domino comparenti totam rem cum fructibus restituere. Quia cum ea omissio fuerit contra justitiam, reddit eum malæ fidei possessorem, ac proinde instar illius tenetur restituere. Sic tradunt *Leonard. l. 2. de just. c. 14. dub. 4. n. 23. Rebellus de just. p. 2. l. 9. q. 18. sectione 2. n. 14. Molina tom. 1. de just. disp. 36. col. 2. conclus. 2. & col. 4. versic. Reliqua, quæ in eadem.*

183 Tertiò deducitur, quid dicendum sit, quando ex negligentia hujus veritatis indagandæ impotens postea sit possessor ad eam assequendam. Quidam, quos tacito nomine, refert *Rebellus de justit. p. 1. l. 2. quæst. 5. n. 12.* libe-

rant omninò hunc restituendi onere. Ducuntur quia adhuc dubitat, an res sit sua, & an apposita diligentia constaret esse alienam; quamvis ergo contra justitiam omiserit eam diligentiam, seque periculo damni inferendi vero domino exposuerit, si forsan constaret rem esse alienam; quia tamen non constat damnum illatum, excusatur adhuc à restitutione. Præterea, quia ex eo dubio non evasit hic simpliciter malæ fidei possessor, sed secundùm quid, quatenus ratione illius tenebatur ad eam diligentiam. Et hoc dicit *Rebellus ibidem* esse probabile; at tutius, & fortè probabilius esse illum teneri restituere partem majorem, vel minorem, pro qualitate probabilitatis, quòd res sit aliena. At dicendum est, teneri hunc restituere prudentis arbitrio alteri, de quo dubitat, aut eo ignoto pauperibus, quantum alterius intererat veritatem detegi plus, aut minus, juxta majorem, vel minorem probabilitatem, quæ erat veritatis assequendæ. Quia injustitia in ea sola diligentiæ omissione consistit, & damnum eatenus solùm est illatum, quatenus ex hac omissione non est inventus verus rei dominus, cujus inveniendi spes erat diligentia apposita. Ergo quantitas hujus restitutionis est mensuranda juxta majorem, vel minorem hujus spei probabilitatem. Præterea, quia si prudentis arbitrio nulla inveniendi veri domini spes esset, nil esset ratione illius omissionis restituendum, utpote quæ nullius damni causa fuit. Ergo spes illa ob eam omissionem frustrata est tota hujus restitutionis causa, ac proinde est juxta illam metienda. Et ita docet *Molina tom. 1. de justit.* ubi *numero præcedenti* eum retuli, *& tom. 3. p. 2. disp. 721. num. 5.*

184 Ultima conclusio. Qui bona fide cœpit possidere, & supervenit dubium, nec veritas apposita debita diligentia sciri potuit, potest re illa uti, eamque alienare, admonito emptore hujus vitii; ne postea domino comparente damnum emptori sequatur; item quia ratione hujus vitii res illa minùs valet. Quòd si non admoneat, tenetur damnum secutum resarcire. Hanc probavi *l. 2. de matrim. disput. 41. n. 22.* Et ultra Doctores *ibi* relatos tenent *Graffis 1. p. decisionum, l. 2. c. 130. nu. 5. Petr. de Led. 2. tom. summ. tract. 8. c. 14. concl. 9. Rebellus de justit. p. 1. lib. 2. qu. 5. num. 11. & p. 2. lib. 9. q. 18. sect. 2. nu. 14. Leonard. l. 2. de just. c. 14. dub. 4. nu. 23. Molina tom. 3. de justit. p. 2. disputat. 721. nu. 4. Vega 1. tom. summæ c. 60. casu 17. Sayro in clavi regia lib. 10. tract. 2. c. 3. nu. 29.* Imò, & teneri hunc ad donatarium illius rei admonendum ratione damni quando ipsi potest sequi, tradunt benè *Covarr.* à me allegat. in *eo numer. 22. & Graffis eo c. 130. num. 5.* Quod limitavi *eo num. 22.* cum *Bannez ibi* relato, nisi disperetur fore, ut dominus compareat; tunc enim non est opus emptorem monere.

185 Hanc conclusionem limitat *Petrus de Ledesma ibidem*, dummodo credatur fore, ut emptor ille quærat verum dominum. At non est opus hac limitatione. Quia semel per venditorem apposita sufficienti diligentia, tutus est emptor aliam non apponendo. At admittenda est, quando venditor defecisset in diligentia debita, sive sua negligentia sive quia tunc nulla indagandæ veritatis occasio aderat. Nam (ut benè ait *Rebell. eadem sect. 2. nu. 14.*) possessor ille prior tenebatur habere animum diligentiæ apponendæ, quoties occasio se offerret.

186 Hinc fit hunc possessorem, qui apposita sufficienti diligentia mansit adhuc dubius, non teneri in posterum vero dominio comparenti restituere, nisi instar bonæ fidei possessoris, nempe rem extantem, consumptam vero, quatenus est ditior factus. Quia ex puncto illius diligentiæ est possessor bonæ fidei. Ita tradunt, *Rebell. ea qu. 5. nu. 11. Leonard. eo dub. 4. nu. 23.*

187 Rursus etiam fit, si rem illam eodem pretio, quo emit, vendidit, eum non teneri id pretium vero domino restituere, si verò pluris vendiderit, teneri excessum. Sicut de possessoribus bonæ fidei diximus *n. 25. & 28.* Et ita docet *Leonard. num. præcedenti* relatus. Quare non omninò approbo, quod docent *Joannes à Metina de restitut. qu. 10. col. 8. paulo ante vers. Si denique res furtiva sit, & Sayro eodem c. 3. n. 29.* nempe teneri hunc possessorem esse paratum ad id pretium, quo vendidit; restituendum domino, quoties comparuerit. Idque probat *Sayro*, quia si rem illam retineret, teneretur hunc animum habere, Non (inquam) omninò approbo, quia solùm est vera, quando ex pretio locupletior evasit; instar aliorum possessorum bonæ fidei, ex quibus ipse quoque jam est. Nec ratio contraria intentum probat. Quia si res illa extaret, teneretur possessor ratione rei acceptæ illam integrè restituere; at re vendita non tenetur ratione rei acceptæ, nisi quatenus locupletior factus est.

188 At dubitabis, an si possessor non tantùm dubitet, an res sit sua, sed etiam ex conscientia erronea dubitet etiam, an præmissa diligentia debita eam justè retineat domino non invento, censendus sit, quo ad restituendi onus tamquam malæ fidei possessor? Existimo censendum talem, quo ad effectus concessos jure civili possessori bonæ fidei, nempe ut habens titulum faciat omnes fructus suos, & illo carens solos industriales, nec hos consumptos teneatur restituere, neque quatenus ditior evasit: hi enim effectus non convenient huic, tamquam possessori malæ fidei. Quia jura clamant possessorem bonæ fidei esse, qui rem possessam existimat ad se pertinere. Ut satis probavi *num. 159.* Si verò loquamur de effectu juris naturalis, nempe ut solam rem extantem, & quatenus ex consumpta ditior mansit, qui conceditur possessori bonæ fidei, quem *num. 4.* explicui, existimo censendum hunc possessorem bonæ fidei, ac proinde eo privilegio gaudere. Quod in quodam simili docet *Molina tomo 1. de justit. disput. 63. columna penultima, versic. Dubium est hoc loco*: ubi ait hunc non continuare possessionem jure civili, & canonico, bona fide petitam ad præscribendum, secùs autem stando in solo jure naturali. Cujus optimam rationem reddit, nostroque proposito deservientem. Quia quamvis ea conscientia errans sat sit, ut ea affectus peccet continuando possessionem, non tamen satis est ad jus adimendum, quod quis re ipsa habebat eo errore secluso. At eo secluso jus habebat solius rei extantis restituendæ, & quatenus ex ipsa jam consumpta ditior evasit.

189 Tandem ad argumenta adducta *num. 169.* probantia dubiam fidem esse bonam, respondetur. Ad textum *c. Si virgo*, dic ignorantiam capi *ibi* pro ignorantia positiva, qua quis errat putans rem esse suam, non autem pro negativa, qua dubitans ignorat rem esse alienam. Quem intellectum optimè ex ipso textu probat *Covarruvias regula Possessor 2. par. §. 7. num. 4.* Ad rationem *ibi* adductam dic eam concludere, dubitantem censeri bonæ fidei, quando dubium supervenit possessioni bona fide cœptæ, sæcùs quando possessionem antecedit. Ad argumentum adductum *numer. 170.* ad probandum esse malæ fidei, constat solutio ex dictis *numer. 179.* ubi probavimus incipientem possidere bona fide, habere assensum practicum justæ retentionis illius rei. Ad propositum *n. 171.* constat ex dictis *n. 181.* ubi explicuimus qualiter possit dari medium inter bonam, & malam fidem.

190 Hactenus egimus de veris bona, & mala fide. Superest agere de his fictis, seu præsumptis. Inducitur autem mala fides præsumpta dupliciter. Prior modus est per litis contestationem. Ut constat ex *l. Certum 22. C. de rei vindicatione*, ubi bonæ fidei possessor obligatur ad omnes fructus restituendos, qui à tempore litis contestatæ sunt percepti. Cujus rei *Glossa final. ibi* dicit rationem esse, quòd ex tunc incipiat esse in mala fide.

191 Posterior modus est per denuntiationem, qua possessori intimatur rem esse alienam. Quia habetur *l. Si fundum 17. C. de rei vindicat.* Ad quam præsumptionem variæ petuntur conditiones, ut potest videri apud Doctores *ibidem*, *& c. Gravis, de restit. spol.* quæ communiter sunt hæ. Prima ut si possessor careat titulo, sufficiat denuntiatio: si verò sit eo munitus, oporteat denuntiationem fieri in principio contractus, secùs si postquam cœpta est possessio. Ita *Antonius eo c. Gravis, num. 11. & ibi Abbas n. 16. Berojus nu. 20. Imola n. 9.* Limitat autem *Berojus ibi*, ut sufficiat denuntiatio facta à principio contractus habenti titulum, quando denuntiatio est ex justa causa. Atque *Imola eodem n. 9.* petit idem, quando possessio est sine titulo. Sed benè eum reprobat *Berojus ibidem*. Atque exigi, ut denuntiatio fiat ante contractum, tradunt etiam *Bart. ea l. Si fundum, in fine, & ibi Paulus n. 2.* Et constat ex eo textu: ibi *Volentem ad emptionem accedere*. Secunda est, ut denuntiatio fiat à dicente se dominum: secùs si fiat à quodam tertio. Ut constat ex iis verbis textus: *Si fundum vestrum vobis per denuntiationem admonentibus*: Et tradunt *Bart. ibi n. 1. Paulus, n. 3.*

192 Quo ad litis contestationem, dicunt quidam eam inducere præsumptionem juris, & de jure, ad effectum ut possessor censeatur malæ fidei ad fructus restituendos. Ducuntur ex *l. Certum 22. C. de rei vindicat.* Cum enim is textus decidat possessorem bonæ fidei teneri ad restituendos omnes fructus perceptos post litis contestationem, instar possessoris malæ fidei, decidit clarè per litis contestationem præsumi malam fidem: & cum juxta eam disponat fructus restituendos, erit præsumptio juris, & de jure. Ita tradunt *Antonius c. Gravis, n. 10. de restit. spol. ibi Abbas nu. 15. Berojus n. 17. & 18.*

193 At optimè *Joannes Garzia de expensis c. 23. nu. 13. in fine*, & latiùs *n. 45. & 46.* probat possessorem bonæ fidei non esse damnandum ad hanc fructuum restitutionem, quasi esset possessor malæ fidei, à tempore litis contestatæ, aut denuntiationis, per quæ sola mala fides præsumpta inducitur: sed à solo malæ fidei veræ tempore, quæ inducitur, quoties ea denuntiatio, aut litis contestatio ita fiunt, ut veram malam fidem inducant. Quod ait contingere, quando adversarius talia documenta exhibet, ut prudentis arbitrio debeat possessor existimare rem esse alienam. Atque ita ait intelligi textum *dicta l. Certum*, ut verbum, *malæ fidei*, sit de vera mala fide intelligendum; & verbum, *post litis contestationem*, quando ea ita fit, ut veram malam fidem debeat meritò inducere. Idque probat ex *l. Si fundum 17. C. de rei vindic.* ubi fructus non restituuntur à tempore denuntiationis, quæ solam malam fidem præsumptam inducit sed à tempore veræ malæ fidei, ibi: *Fructus, quos cum mala fide percepisse fuerit probatum.* Et *idem Joannes Garzia eodem tractatu de expensis c. 6. n. 6.* ait se vidisse semel in regio Senatu Vallisoletano judicatum, ut possessor bonæ fidei non restituat fructus à tempore litis contestatæ, sed à tempore quo mala fides vera potuit inde suboriri.

SUMMARIUM.

Fructus qui inter bona hæreticorum, & aliorum, quorum bona publicantur ipso jure, inveniuntur, publicantur n. 194.
Quid de fructibus perceptis à tertio possessore, in quem illa bona sunt post delictum alienata? Refertur quadam sententia, numer. 195.
Refertur alia sententia, n. 196.
Explicatur sententia Auctoris, n. 197. 198. *&* 199.
An is, cujus bona sunt jure, publicata, teneatur ad fructus, qui percipi potuere? n. 200.
Quid de tertio possessore mala fidei eorum bonorum? n. 201.
An teneatur ad fructus, quos delinquens percepisset? n. 202.
Quid si à delinquente rem injustè accepisset? n. 203.
Ad quem pertineant meliorationes factæ in rebus publicatis? numero 204.

194 QUæstio ultima, Qualiter confiscentur fructus percepti ex re habita ab hæretico, vel aliis, quorum bona publicantur ipso jure, quamvis res illa sit apud tertium possessorem? Et quidem si agamus de fructibus perceptis, qui inter horum delinquentium bona reperiuntur, non est dubium, quin publicentur, sicut reliqua horum bona. Ut benè ait *Bursatus consil.* 43. *numer.* 11. *volum.* 1. Et ita intelligendi sunt quidam docentes publicationem trahi ad fructus à tempore delicti perceptos. Hi sunt *Archid. cap. Felicis, numer.* 13. *de pœnis, in* 6. *& ibi Joannes Andreas num.* 4. *Dominicus ibi, in principio, numer.* 8. *Francus ibi* §. *Nullus, numer.* 3. *Felinus cap. De quarta, num.* 33. *versic. Nihilominus, de præscript. &c. Rodulphus, numer.* 38. *limitatione* 3. *de rescript. Marianus Socinus senior c. Judæi, el* 2. *nu.* 14. *de Judæis, &* alios citans *Tiraquell. l. Si umquam, verbo Revertatur, in nova editione num.* 268. *C. de revocand. donat. Angelus de maleficiis, verb. Et ejus bona publicamus, num.* 24. *Lud. Gomez capit.* 1. *num.* 9. *de rescript. in* 6. *Covarr.* 4. *Decret.* 2. *p. c.* 6. §. 8. *num.* 8. *Tabienæ in summa, verbo Assassinus, qu. un. num.* 3. *Tello l.* 4. *Tauri numer.* 45. *in initio, Conradus de contractibus q.* 7. *conclus.* 3. *Leonardus lib.* 2. *de just. cap.* 29. *dub.* 8. *num.* 64. *Azor. tomo* 1. *inst. mor. lib.* 5. *cap.* 7. *quæst.* 5. *Sayro in clavi regia, lib.* 3. *c.* 9. *num.* 30. *Scaccia de judiciis, lib.* 1. *c.* 98. *num.* 12. *Molina tom.* 1. *de just. disp.* 96. *col. ultima.*

195 At dubitatur de fructibus perceptis à tertio possessore, in quem bona illa devenere, & sunt alienata post delictum. Et quid *Montepicus l. Post contractum, nu.* 192. *ff. de donat. Angelus in summa, verbo Pœna, num.* 3. *& ibi Sylv. qu.* 25. absolutè docent fiscum revocare rem illam cum fructibus, apud quemcumque possessorem existat.

196 Sed est distinguendum, an tertius ille possessor sit bonæ fidei, quia delictum alienantis ignorayit, aut malæ, quia id novit. Quando est bonæ fidei, dicit *Peregrinus de jure fisci, lib.* 5. *tit.* 1. *n.* 174. absolutè hunc non teneri reddere fructus. Idem ait *Bursatus consil.* 43. *n.* 8. *&* 9. *vol.* 1. quando fructus sunt consumpti, & ipsum sequitur *Surd. decisione* 247. *n.* 11. *p.* 1.

197 Verùm dicendum est, hunc eodem modo teneri quo possessor bonæ fidei, nempe ad fructus omnes extantes: ad consumptos verò, quatenus ditior evasit. Et sic intelliguntur Doctores *num. præced.* relati. Quia par est ratio de hoc, & de aliis possidentibus bona fide. Et ita docet *Vasq.* 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 5. *disp.* 172. *c.* 1. *nu.* 3. & 4. Quare tenendo reliquos bonæ fidei possessores non teneri ad fructus industriales consumptos, etiamsi ditiores evaserint, est idem de hoc dicendum.

198 Limitat *Bursatus* relatus *nu.* 196. ut hoc intelligatur usque ad judicium inchoatum, quasi ex tunc teneatur etiam ad consumptos. Et *Simancas de cathol. inst. tom.* 9. *n.* 59. ait ex tempore litis contestate incipere hunc esse malæ fidei, & ad talem teneri. At hoc intellige ut explicui *n.* 193.

199 Si autem sit malæ fidei possessor, quia nempe novit delictum, tenetur ad omnes fructus perceptos, extantes, & consumptos, instar aliorum possessorum malæ fidei. Quia etsi donatione, aut alio contractu rem illam ab hæretico accipiens non deliquerit, ac fiat illius dominus: at accepit rem illam obligatam à tempore delicti restitutioni illius cum fructibus, post sententiam secutam: cui obligationi se subjecit ratione rei. Ita docent *Bursatus eodem cons.* 43. *n.* 10. *Simancas eodem tit.* 9. *n.* 58. *&* 59. *Vasquez eo c.* 1. *n.* 5.

200 Sed dubium est, an teneatur hic de fructibus, qui percipi potuere? Et videtur teneri: nam tenetur instar possessoris malæ fidei, at hic saltem in foro externo ad hos tenetur. Item quia *Lud. Gomez c.* 1. *nu.* 9. *de rescript. in* 6. ait teneri ipsummet; cujus bona publicantur ipso jure ad fructus, qui percipi potuere. Sed *Bernard. Diaz in sua practica in nova editione c.* 131. *n.* 6. ait ipsum delinquentem non teneri ad fructus, qui percipi potuere, sed ad solos perceptos. Et ita credo, quia non verè est detentor rei alienæ, eò quòd vel dominium retinet suorum bonorum, aut saltem justam possessionem, donec damnetur.

201 Ex quo deducitur, à fortiori tertium illum possessorem malæ fidei non teneri ad fructus, qui percipi potuere. Quòd non teneatur ad plus, quam verus delinquens. Item quia possidet cum titulo, utpote qui donatione, aut alio contractu recepit à delinquente: in quo eventu nec recipiens à prædone tenetur de his, qui percipi potuerunt, ut diximus *n.* 98.

202 Imò nec tenetur fisco ad eos, quos verè percepisset delinquens ille rem eam apud se habens. Quia etsi ad hos tenetur vero dominio possessor malæ fidei, id evenit, quia in iis illi nocuit: at hic non nocuit in his delinquenti qui erat verus dominus, aut saltem habebat legitimum alienandi jus ante sententiam, cum ex ejus voluntate rem illam acquisierit. Nec etiam fisco nocuit, non enim tenetur illi in plus, quàm delinquens: at hic non tenetur fisco ad fructus, quos percepisset, & incuria sua non percepit. Nec enim tenetur operari fisco.

203 Si tamen quispiam mala aliàs fide rem illam delinquentis accepisset, ut furans, aut ab alio injusto possessore, tenetur fisco eo modo, quo ipsi delinquenti tenebatur, nempe ad fructus, quos inde percepisset delinquens deductis expensis, & mercede laboris, & industriæ. Quia hoc modo tenetur delinquenti, in cujus jus succedit fiscus. Atque in foro externo teneretur etiam ad fructus, qui inde percipi potuere eo modo, quo diximus *n.* 98. teneri possessorem malæ fidei, absque titulo, nam titulo caret, quando ipse furatus est. Si verò donatione, aut allo contractu accepit eam à fure, non tenebitur ad hos, juxta *ibi* dicta: quia habet titulum.

204 Tandem si melioratione in re confiscata sint factæ, ait *Vasquez* 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 5. *disp.* 172. *cap.* 1. *num.* 1. eas ad fiscum pertinere revocato contractu, solutis expensis tertio illi possessori. Quia transeunt ad quemcumque cum eo onere, & obligatione, quibus affecta erat res illa apud delinquentem tempore alienationis. Quod quidem est intelligendum, quando eæ meliorationes cedunt domino rei. Quod quando contingat, diximus *n.* 105. Et circa expensas illarum nil novum est dicendum, sed idem prorsus, quod de illis deducendis à similibus possessoribus, diximus à *nu.* 135. *usque ad* 147.

CAPUT XXIV.

Qualiter hæreticus sit testandi incapax, & filii liberentur patria potestate, & omnes fidelitate debita hæretico, & servi ejus servitute?

SUMMARIUM.

An hæreticus testari valeat, & testamentum sit irritum, n. 1. 2. 3. *&* 4.
Qualiter amittantur patria potestas, & ejus effectus, & omnis obligatio per hæresim? n. 3. *&* 6.
An pater filium hæreticum alere teneatur vel è contra: & quoties bona publicantur? n. 7.
An debens aliquid hæretico teneatur ipsi solvere? n. 8.
Qualiter servi per dominii hæresim fiant liberi, & fœtus ancillæ ante sententiam conceptus sit liber? à n. 9. *usque ad* 23.

1 CIrca potestatem hæretici ad testandum, si jus civile, & regium attendamus, poterat testari, instituendo tamen catholicos hæredes, *auth. Ut cum de appellatione cognoscitur*, §. *Si quis de prædictis parentibus, vers. Generalem, & l. regia* 7. *tit.* 7. *p.* 6. *& l.* 2. *tit.* 26. *p.* 7. At standum est jure canonico *c. Excommunicatione* 13. *&* §. *Credentes, de hær.* ubi eum intestabilem esse decernitur. Quod benè tradunt *Greg. Lop. ea l.* 7. *verb. Catholicos, & ea lib.* 2. *verb. De sus fijos, Simancas* alios referens *de cath. inst. tit.* 9. *à n.* 3. *Tello l.* 4. *Tauri nu.* 24. *Penna in directorio Inquisitorum* 2. *p. commento* 9.

2 Quod quidam extendunt, ut habeat verum etiam non secuta sententia criminis declaratoria. Quia text. *d.* §. *Credentes*, sic dicitur: *Sit intestabilis*. At verbum, *sit*, importat canonem latæ sententiæ, ut testantur multi, quos refert *Tiraquell. l. Si umquam, verbo Revertatur, in nova editione num.* 180. *C. de revoc. donat.* Et de apostata videtur probare *l. regia* 5. *tit.* 25. *p.* 7. ibi: *Apostata no puede fazer testamento desde el diaque apostato*. Ita docent *Pereg. de jure fisci, lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 172. *versic. Notandum tamen, Meres de majoratu, in* 1. *editione p.* 1. *qu.* 1. *n.* 91. *Cervantes l.* 4. *Tauri num.* 40. & videntur clarè tenere *Greg. Lop. l.* 4. *in fine, tit.* 26. *p.* 7. *& Penna in directorio* 3. *p. commen.* 165. *vers. Rursus*, ubi dicunt hæreticum à die commissi criminis esse incapacem testandi. Et videtur tenere *Covarr. Clem. Si furiosus* 1. *p.* §. 2. *n.* 2. ubi ait sodomitam nondum condemnatum nequire testari, eò quòd infamis sit, & à die patrati criminis dominio omnium bonorum privatus. Quod fortiùs in hæretico militat. Et *Aragon.* 2. 2. *q.* 11. *ar.* 3. *fol.* 348. *col.* 1. *coroll.* 4. ubi ait testamentum esse nullius roboris, quia est de bonis jam ad fiscum pertinentibus.

3 At certius est, posse testari ante sententiam criminis declaratoriam, & ea secuta revocari testamentum, sicut, & quascumque alienationes per ipsum factas. Ducor, quia similiter prohibetur omnis alienatio bonorum ab ipso facta, & tamen sustinetur ante sententiam, ita ut accipiens sit tutus in conscientia usque ad illam. (Ut probavimus *c.* 22. *n.* 52.) Cur ergo non dicemus idem de testamento? Secundò quia *d.* §. *Credentes*, ubi hæc pœna imponitur, dicitur: *Sit intestabilis*. At verbum, *Sit*, cum sit futuris temporis importat sententiam ferendam. Ut communior sententia testatur, quam multos referens tuetur *Tiraquellus eo verbo Revertatur, num.* 182. *&* 183. Tertiò ex *l. regia* 16. *in fine, tit.* 1. *p.* 6. ibi: *Los hereges despues que por sentencia son condenados de heregia, no pueden fazer testamento*. Ubi *Greg. Lop. verbo Despues*, ait testamentum ante factum esse irritandum, ubi non dixit esse irritum ipso jure. Et *l.* 4. *in fine, tit.* 26. *p.* 7. *Non deve de valer su testamento desde el dia que fuere juzgado por herege*. Nec obstat *Greg. Lop. ibi, in fine*, dicere corrigi per jus canonicum. Quia si lex illa intendat sententiam confiscationis non retrahi ad revocanda testamenta facta à die commissi criminis, fateor eam jure canonico corrigit: si verò intendat non esse omninò irrita, donec hæreticus declaretur, non invenio ubi jure canonico corrigatur. Atque ideò hanc sententiam tenet loquens de crimine læsæ majestatis humanæ *Decianus in sua pract. lib.* 7. *cap.* 40. *num.* 20. Et in crimine hæresis in hanc inclinat, etsi dubius, *Tello l.* 4. *Tauri, num.* 34. Et tenet *Salzado in practica Bernardi Diaz. c.* 86. *vers. Punitur etiam*. Et melius *Molina tomo* 1. *de just. disp.* 95. *col.* 12. *vers. Secundum est*, ubi ait licitè posse hæreticum ante condemnationem bona sua transferre in alium donatione, aut ultima voluntate. Idem *Vasquez* 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 5. *disp.* 171. *cap.* 1. *num.* 11. ubi ait posse eum, cujus bona sunt ipso jure publicata, relinquere ex testamento hæreditatem filiis, & filios posse capere ex testamento, & ab intestato.

4 Imò, & post sententiam poterit de bonis non publicatis testari. Quia jus canonicum interdicens illi testari intelligitur de bonis, quæ publicantur. Et satis favet *l. regia* 4. *Tauri, hodie l.* 3. *tit.* 4. *lib.* 5. *nova recopil.* concedens generaliter testandi facultatem quibuscum reis, de bonis non publicatis. Atque ita docent *Castillo ea l.* 4. *Tauri, verb. Furem confiscandos, & ibi Avendanno Gl.* 7. *num.* 11. Et inclinat, quamvis dubius, *Matienzo eodem tit.* 4. *l.* 3. *Glossa* 7. *numero* 5.

5 Circa patriam vero potestatem, & omnem obligationem fidelitatis debitam hæretico, certum est per hæresim paternam eximi filios à patris potestate, ac sui juris fieri. Habetur expresè *cap.* 2. §. *finali, de hæret. in* 6. Hoc extendit *Eymericus in directorio Inquisitorum* 3. *parte quæst.* 116. ad filios receptatorum, defensorum, & fautorum hæretici. Sed merito id rejicit *Penna ibi, commento* 165. quòd nullo jure hæc pœnæ extensio probetur. Atque *cap. finali, de hæretic.* decernitur omnes aliqua obligatione hæretico adstrictos sive jurisjurandi, sive fidelitatis, sive obsequii, sive alterius pactionis, aut promissionis liberari. An verò conjux fidelis possit hæretico debitum negare, & ab eo divertere: satis diximus *libro decimo de matrimonio, disp.* 15. *&* 16.

6 At dubium est, an pœna hæc sententiam criminis declaratoriam exigat? *Azor. tomo* 1. *institutionum moralium, lib.* 8. *c.* 13. *qu.* 1. refert tacitis Auctorum nominibus, quoldam sentire pœnam absolutionis ab omni fidelitatis debito incurri, etsi hæreticus occultus sit. Alios autem refert dicentes non incurri, nisi denuntiatus excommunicatus sit, aut notorius clerici percussor. Atque in nostris terminis, *Simancas de cathol. inst. tit.* 9. *num.* 206. satis obiter, & nulla ratione adducta, docet exigi sententiam criminis declaratoriam, ut filius patris hæretici potestate liberetur. Ejusdem sententiæ videtur *Azor. tomo* 1. *instit. moralium, libr.* 8. *cap.* 13. *qu.* 1. nam initio illius capitis dixerat omnem obligationem cum hæretico contractam cessare per hæresim, & filios effici sui juris, nec valere substitutionem pupillarem. Et statim *quæst. prima* generaliter quærit, an hujusmodi pœnis occultus hæreticus afficiatur. Et concludit dicens se existimare omnes obligationes, quibus aliqui sunt hæreticis adstricti, statim cessare, ita ut hæreticus jus non habeat, sicut nec habet bonorum dominium: at possessionem retinere, donec crimen judicis sententia declaretur. Sed verius est, statim nulla expectata sententia filios effici sui juris. Quia *cap.* 2. §. *finali, de hæreticis, in* 6. appellantur filii sui juris dicitur emancipationem factam antequam pater declaretur hæreticus, esse nullius momenti, quasi patria potestas ad ejus valorem petita cessarit. Et ita tenent *Gl. ibi verbo Deferint, Castro libro* 2. *de justa hæreticorum punitione capite septimo, Penna in directorio Inquisitorum* 3. *parte quæst.* 116. *commento* 165. *Molina tomo primo de justitia, disput.* 9. *col.* 7. *vers. Ab hac regula, & disp.* 229. *in tertio modo liberationis à patria potestate, Azor. tomo secundo instit. moralium, lib.* 2. *cap.* 22. *quæst.* 6. *Rebellus de justitia par. instit. moralium, lib.* 2. *cap.* 22. *quæst.* 6. *Rebellus de justitia par. 1. libro primo quæst.* 7. *sectione* 2. *numer.* 23. *Sayro in clavi regia lib.* 3. *cap.* 9. *numero* 30. *& lib.* 9. *cap.* 7. *numero* 7. *Leonardus lib.* 2. *de justit. cap.* 3. *dub.* 5. *numero* 23. *in fine*. Quare emancipatio, & substitutio pupillaris facta ab hoc hæretico non valebunt. Ut benè tradunt *Castro, & Penna ibidem*. Quia pater caret jam patria potestate ad horum valorem petita.

7 Sed difficultas est, an eximatur quoque filius ab obligatione naturali alendi patris pauperis, ob patris ipsius hæresim. Et quidem quando statuto, aut lege cavetur bona patris publicari, reservando aliquas portiones filiis ex bonis patris ipsi omninò ablatis, frequentissima est sententia non adstringi filios ex his bonis patri ablatis, ac reservatis ipsis, ad alendum patrem. Ducitur que ex *c.* 1. §. *Si quis hominem, de pace renenda, & ejus violatoribus, in usibus feudorum*. Ita eradunt *Baldus auct. Bona damnatorum, nu.* 4. *vers. Hic quæro, C. de bonis damnat. Tiraquell.* alios referens, *de retractu lignagier*, §. 1. *gloss.* 9. *num.* 72. *Joann. Lupus rubrica de donat. inter vir. & uxor.* §. 64. *nu.* 13. *& l.* 10. *Tauri, num.* 9. explicans in hoc posteriori loco, nisi filius habeat alia bona. *Surd. cons.* 116. *num.* 25. *lib.* 1. *de alimentis tit.* 1. *q.* 31. *num.* 23. *& q.* 36. *num.* 2. *&* 14. *& tit.* 7. *q.* 14. *n.* 17. *& num.* 28. *& tit.* 9. 25. *num.* 59. *& q.* 32. *num.* 10. *& quæst.* 38. *num.* 4. Et alii multi, quos refert *Zavallos in suis communibus, tomo* 3. *q.* 779. *num.* 153. At jure optimo latissimè, & optimè *Zavallos ibi à n.* 154. plura adducens, & probans eum textum nil prorsus probare, impugnat hanc sententiam. Nec ampliùs in hoc insisto, eò quod sit extra præsens intentum. Sed ad nostros hæresis terminos descendendo, quibusdam placet teneri filios catholicos ad alendum patrem hæreticum. Quia hæc obligatio ex jure naturali oritur, nec est aliquod jus humanum illam auferens in pœnam patris. Non ergo est filius ab illa eximendus. Sic sentire videtur *Glossa c.* 1. *verbo Fideles d.* 30. ubi patrem hæreticum egentem ait præferendum extraneo Catholico in eleemosyna à filio eroganda. Quod eisdem verbis tradit *l. regia* 8. *tit.* 23. *p.* 1. Et tenent *Castro lib.* 2. *de justa hæreticorum punitione c.* 7. *Surdus de alimentis tit.* . *quæst.* 18. *num.* 3. *& qu.* 19. *à num.* 3. Cæterum verius est non teneri, nisi pater extremè indigeat. Quod docent *Lara l. Si quis à liberis*, §. *Et si impubes, num.* 10. *ff. de liberis agnosc. Surdus de alimentis tit.* 7. *q.* 14. *à num.* 19. *usque ad* 25. & sic explicat legem regiam in contrarium allegatam, & locum ipsiusmet hic relatum, ubi dixerat teneri filium, ut intelligantur in extrema hac necessitate. Fundamentum autem est, quòd majori vinculo sit pater adstrinctus ad filios alendos, quàm è contra, ut ex se constat. At pater non tenetur alere filium hæreticum. Ut cum aliis optimè probat *Surdus de alimentis titul.* 7. *quæst.* 2. *à num.* 6. contra alios, quos *ibi* refert *num.* 5. Quia pater potest filium hæreticum exhæredare. Ut constat ex *authen. Ut cum de appellatione cognoscit.* §. *Causas, versic. Si quis de prædictis, & l. regia* 7. *titul.* 7. *p.* 6. At frequentissima est Auctorum sententia, quam multis citatis optimè tradit *Molina de primogen. lib.* 2. *c.* 16. *num.* 1. *& duplici seq.* ut ex eisdem causis, ex quibus potest filius exhæredari, possint ei negari alimenta extra necessitatem extremam. Similiter ergo filius non tenebitur ad alendum patrem hæreticum extra dictam necessitatem. Præterea quia cum sint correlativa, dispositum in uno censetur in alio disponi.

8 Dicendum tamen est, debentem aliquid hæretico, teneri ipsi solvere, donec condemnetur. Quia possessionem, & administrationem suorum bonorum habet. At secuta condemnatione nequit hæretico solvere, sed fisco, ad quem universa hæretici bona pertinent. Ita *Azor. tomo* 1. *lib.* 8. *institut. moral. cap.* 13. *quæst.* 2. Quamvis *Abb.* quem *ibi*, refert, *& Castro lib.* 2. *de justa hæret. punit. c.* 7. *paulò post principium*, dicant etiam ante sententiam teneri hunc fisco solvere: Quia ipsi in ea sunt sententia, ut hæreticus teneatur ante condemnationem bona fisco restituere.

9 Circa ultimum tractandum, nempe qualiter servi hæreticorum libertatem acquirant. Quidem censent non acquirere: sed ad fiscum pertinere, ac cum aliis hæreticorum bonis publicari. Quia nullus reperitur textus ea libertate illos donans. Ita *Joannes Andr. c.* 2. *numer.* 5. *ad finem, de hæret. in* 6. *& ibi Dominicus in fine, Ananas c. finali, num.* 4. *de hæret, & ibi Marianus Socinus*, Et quidam Jurisperiti Lusitani, qui convenere ad judicium de hac referendum. Ut refert *Molina numero seq.* allegandus. Et est satis probabile.

10 At verius est, Christiana hæreticorum mancipia libertate donari. Quod probatur ex *l. Manichæos* 4. *in fine C. de hæret.* & ita explicat illam *Glossa ibi verb. Extra noxam, & ex c. finali, de hæretic.* quod omnes obligatos hæretico declarat absolutos à fidelitatis, & dominii debito. Nec obstat, si dicas inde tantùm colligi ea libera manere à domini obsequio, non tamen absolutè libera, sed transire in fisci dominium. Sicut contingit in mancipiis infidelibus, quæ obsequio domini liberantur: non tamen libera sunt. Quia hanc solutionem, & alias, quæ traduntur aliis textibus, quibus hæc sententia confirmatur, optimè confutat *Molina tom.* 1. *de just. tota disput.* 40. ubi latissimè hanc libertatem probat. Idem sustinent *Castro lib.* 2. *de justa hæret. punit. c.* 7. *Simancas de cathol. instit. titul.* 61. *n.* 8. *Penna in directorio Inquisitorum* 3. *part. quæst.* 119. *commento* 168. ubi instructionem quamdam Hispalensem affert, in qua hoc deducitur, *Azor. tom.* 1. *lib.* 8. *inst. moral. cap.* 12. *quæst.* 7. *& l.* 5. *c.* 7. *quæst.* 8. *Idem Simancas, eodem tract. tit.* 9. *num.* 96. *Dec. in sua pract. l.* 5. *c.* 44. *num.* 22. *Vasq.* 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 5. *disp.* 196. *c.* 2. *num.* 19. *vers.* 12. *& disput.* 172. *c.* 3. *num.* 15.

11 Hinc deducitur mancipia, quæ Christiana non sunt, minimè manere libera: sed ad fiscum cum aliis hæretici bonis pertinere. Quia nullo jure libertas illis conceditur. *Penna, Molina, Azor. num. præced.* alleg. Qui tamen hoc intelligit, nisi catholicæ religionis studio dominos hæreticos denuntiarint; vel nisi servi illi catechumeni sint. Quia in hoc duplici casu censet *Azor.* manere servos liberos. At *Penna ibidem* tantùm ait rationi consonum esse, ut in his casibus libertate donentur. Et ego ita credo, & ideò non eo ipso eam libertatem consequi. Quòd de solis Christianis id statutum sit.

12 Secundo deducitur, hæreticum, cui intra gratiæ tempus redeunti bona beneficio principis restituuntur, minimè ser-